

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 18. (Neovidensis 1808. Nro. 15.)

---

*Ex Campis Elysiis*

*Politicum Vita functorum Colloquium.*

---

Elysium-Meum.-Die Martis. 4 Mart. 1808. (Neov. 16. Feb. 1808.)

---

Congeries hominum, quos terra Bohemica nutrit  
Regnum constituit, bellicque perenne theatrum,  
Gens armis fortis, fulcrum virtutis & artis  
Hanc regere Habsburgæ decus est, & gloria  
stirpis.

---

*Colloquentes Animæ.*

*Libussa. Comes Domina K. ex Bohemia.*

**C**omes. Ausimne cum Principe patriæ meæ  
præstantissima sermones miscere?

*Libussa.* Salva esto illustris matrona! magna mihi semper voluptas, nobilem ex ditio-  
ne mea personam videndi, cum primis sexus  
nostri personam.

*Comes.* Patria nostra sexui nostro multa  
in acceptis fert, Urbs Praga suam a te ori-  
ginem sortita est; historia Amazonum Bohe-  
mam in Europa invenit.

*Libussa.* Amazonum historia? ut hoc in-  
telligis?

*Comes.* Vlasta, quæ te præcessit apud animum constituit, marito tuo Primislao nubendi, at ille non propendebat in has nuptias, Vlasta subin excitavit seditionem, globum feminarum ad suas partes attraxit arcemque Divin in nemo-rè condidit, se imperantem proclamandam curavit, muliebri regimen in Bohemiam inducere adnisa, armisque turmam feminarum instruxerat; dum vero Primislaus arcem hanc obsideret, facta eruptione ocebuit, quo factò arx occupata & diruta est.

*Libussa.* Simile quid me audivisse memini, pro impudentem! rem omnem hicce celasse videtur, ad animi ægritudinem mei declinandam.

*Comes.* Patria nostra copiam insigniter solideque doctorum virorum edidit, plures quam quodvis magnitudine præstantius regnum. Ante quinque aut septem circiter viginti annos Bohemicus Biographus eorum vitarum descriptionem cum iconibus edidit, opus in perenne gloriæ monumentum nostræ.

*Libussa.* Quam celebrem me animo sentio tam eruditam gentilem coram conspiciens, quanta superi! quamque excellens cultura mentium in ditioe mea; Bohemi audite! quantæ ingenii opes vigere debent! & patriæ historiæ plurimum mea intersunt, me adficiunt.

*Comes.* Obsequar genio, placet tibi Princeps illustris! aliquas Statisticas notiones communicare, quas nequaquam ego, verum Borusus, proin adversæ partis homo de patria nostra maxime curiosis animadversionibus instituit.

*Libussa.* Assentior, et audire cupio.

*Comes.* Bohemia complectitur 951 milliaria germanicorum, estque altissime sita Imperii Austriaci provincia, altis undiquaque septa montibus. Solum est argillosum; pinguis, magis sili-gineus, quam triticeus ager; Bohemia incolas suos alit, & insuper copiosas fruges evehit. Circulus Satzensis, ut communis rumor fert, tam uberes habet agros, ut toti regno alendo sufficiat; homines Bohemia terra numerat: 3,013,614 ad unum proin milliaria quadr. 3168.

*Libussa.* An & Industria viget?

*Comes.* In hoc quidem argumento quavis ætate cunctis Austriacis provinciis palmam præripuit; ex solo Russico semine lini 30000 Ton-næ inseminantur, quod naturæ productum solum in ea bonitate profert Bohemia est Lupulus, qui singulari præstantia crescit in Satzensi Districtu. Taceo de ferro, marmore & gemmis, solum aquarum mineralium meminisse volo, & mercium vitrearum, ob quas Bohemia in Europa & orbe toto nobilitatem adepta.

*Libussa.* Quid porro Industria?

*Comes.* Inter Manufacturas, lini & canabum præcipuum locum tenent; Ducuntur fila (gratiæ & honor esto nostro sexui) Cannabis tam subtiliter, ut sæpe frustum, quod filum in longitudine 16800 Ulnas habet, senas non plures quintas adpendat; Bohemia censet 32000 Filaturas lini, 85 mille Fabricantes, & 40000 Sellas textorias in hoc genere industriæ. Tela elaborata efficit 9,810,900 frusta in valore vicenorum millioarum. Ante Bohemi telam Silesiis

vendiderunt, qui eam insolarunt & poliverunt; de præsentibus in Bohemia reperiuntur 2800 Solatoria. In Ellenbogensi provincia numerantur 17,000 simbrium malleaturæ, gosiolum elaboratur Pragæ, in urbe Kuttenberg, Gratzii, Pirkstein, Reichstadii, Josephopoli, Locharitzii, Niementii & Egeræ &c.

*Libussa.* Animum meum mira suavitate replet; & lana ut proficit?

*Comer.* Privilegiatæ Pannificinæ duæ existunt Neugedni & Ossegæ, & novem in urbe Oberleutensdorf, Manetin, Leippa, Neootinga Zbozy, Reichenberga, in hac urbe præterea inveniuntur 750 pannifices, qui annue 30000 pannorum frusta conficiunt, 5 ejates Pannificinæ præbent 6000 pannorum frusta — texturæ lanæ agnæ sunt 70000 pannificum 13000, fullonum 205, pannorum tritores 699, materialium ita dictorum confectores 4769 præsto sunt, quanta copia lanæ quotannis e Bohemia evahitur! quanta in omnes mundi regiones vitrorum copia! Pollemus cannabe subtiliore, filis lineis præstantioribus, tela & meliore; ligno pretii levioris, limpida & bona aqua montana ad insolationem opportuna, & æque ac Silesii, opulenti Capitalistis inter mercatores nostros.

*Libussa.* Felix Bohemia!

*Comer.* Quod sexum nostrum attinet, tacendum animus est, *propria enim laus* — nosti reliquum — at notum est: matronas nostras in argumento amabilitatis, & scientiæ elegantissimam conversationem præbere, prout mares ministrorum publicorum munera gerunt; sub

sceptro Imperatoris Francisci omnis Bohemia  
amorem, fidem & felicitatem spirat; hic ex-  
celsa Princeps Libussa! felix patræ, quam  
olim moderabare, status est.

*Libussa.* Videor sublimari — voluptatem  
& tranquillitatem animo sentio dum de Bo-  
hemia talia prædicari audio; gratias Cara  
Comes! gratias ego amplissimas! —

Utraque lucum politicum subeunt, & in  
publicis paginis seq. nova legunt.

*Parisiis die 11. Febr.* Die 8. h. m. au-  
cus habebatur Congressus in palatio Tuille-  
riæ dicto. Sequente luce Imperator in sal-  
tu Morfontano venatui indulgebat. Vespere  
Princeps Neocomensis choreas magnificas  
instituit, quibus quivis nobiliorum, qui de  
præsenti in urbe morantur, intersuere. Ho-  
die rei maritimæ minister similis adparatus  
Choreas edet.

*Ulyssipone de 28. Febr.* Fertur a quodam  
Portugallico Jurisperito *D. Moire* ordinem Ju-  
diciarum Civilem Gallicum in Inquam Por-  
tugallicam versum esse, alter Juris consul-  
tu & Doctor *Lopez* simili versione Codicis  
Napoleonis occupatur.

Nuncii, quos præsens usque Anglicanæ  
paginæ in argumento Interdicti, quo naves  
in portibus Americanis adfectæ sunt, perhi-  
bent, per litteras *Washingtonio de 27. h. m.*  
quas *Publicista* et ex eo *Monitor* vulgabat, con-  
firmari videntur; quæ sic sonant. „Vigore le-  
gationis a Præsidente, Senatus Decretum con-  
cinnaverat, quo, quævis naves, et navigia

quæ in portibus, aut oris Statuum fœderatorum reperiuntur, Interdicto adficiuntur. Hæc lex in Conventu pom. hora 2. et quidem in Senatu pluralitate votorum 82, et in Curia repræsentantium votis 88 erga 44 lata & probata est — argumentum ejus: omnes naves & navigia Interdicto adficienda esse, quæ in portibus, et orbis intra limites & sub Jurisdictione Statuum fœderatorum morantur, seu litteris liberi commeatus provisa sint, seu non, si ad quemcunque portum exterum destinata, iis solum exceptis, quæ immediatæ Præsidis Fœd. Stat. directioni parent, qui nihilominus jure instruendus est, Telonialibus & Accisarum Officialibus mandata pro executione jussorum suorum elargiendi.

*Bambergæ die 13. Febr.* Jussu Regis Bavaricæ status belli, qui ad præsens obtinuit arcium: *Kuffstein*, *Oberhusii* pone *Passaviam*, *Rothenbergæ*, *Vorchhemii*, et *Rothenbergæ* pone *Kronachiam* suspensus est, quo spes diuturnitatis pacis in Continente extra dubium collocata videtur; Eadem Majestas Regia redundantes per rei tormentariæ et vectoriæ ad statum pacis collocationem equos jugales inter eos subditos dividi præcepit, qui ultima expeditione præjuncturæ jacturam tulere. — Distributio 159 talium equorum in editione *Bambergensi* reapse jam locum habuit.

*Vindobonæ 6. Febr.* (Ephem. aulicæ) Die Martis utpote 2. h. m. hora meridiana 12. solennis functio erat in arcano Curie Senatu Regii Hungarici Equestris ordinis D. Stepha-

ni. Sua Cæs. Regia Majestas Serenissimo Regio Archiduci *Carolo* Administratori vacantis Archi Episcopatus *Strigon.* Magnam Crucem junctim cum dignitate Prælati hujus Ordinis, contulit; eadem occasione Supr. Burggravius et Gubernii provincialis Præses in Regno *Bohemix Josephus C. a Wallis* collata jam sibi insignia majoris Crucis percepit. Eodem die hora 1. Deputati Statuum Archiducatus *Austriæ* supra *Anesum* solenni pompa curribus vecti, præibat iis Præses ejatis regiminis provincialis,, Statuum Consiliique provincialis, *Rudolphus Jos. L. Baro ab Hackelberg* tenerrima vota juncta ardentissimo pietatis sensu ad solennia nuptiarum SS. MM. Imperatoris et Imperatricis detulerunt. — Post memorata solennia Cæsarea Serenitas Reverendissimus et *Celmus.* Archidux *Rudolphus* Coadjutor Archi Episcopatus *Olomucensis* et Ser. Princeps *Saxo Teschinensis Albertus* præsentia sua condecorare dignabantur, publico judicio probatam Musicorum Concertationem in *Odoeo Universitatis.* Jovis die 4. Febr. 12. hora Deputatio Statuum Regni *Bohemix* in societate nobiliorum hic morantium in conspectum Majestatum adducta Supr. Burggravius *C. a Wallis* solennibus verbis præibat, oratio plena fuit dignitatis et intimi animorum sensus Augusti tam benigne, quam elementer respondere dignabantur. Discedendi potestate data Illustres Deputati Cæs. Principem Sereniss. *Carolum* Generalissimum Copiarum Præfectum etc. adiverunt, ad eum ceu Gubernatorem et Gen. Capit. Regni *Bohem.* salutandum et reverendum

## B I O G R A P H I A.

*Libussa Craci* una ex nobilissimis Bohe-  
miæ principum filiabus Seculo VIII. quæ he-  
reditario jure regno potita, aliquo id tempo-  
re cœlebs eximia laude administravit, cum  
vero subditi ejus Regem poscerent, hac ra-  
tione Conjugem sibi delegerat. Equum quem  
hæbebat album libere in campum dimisit,  
eo vulgato: eum coram marito, qui in mensa  
ferrea pransurus esset, constiturum; hac ratione  
*Primislaus* in agro tum forte moratus, pa-  
nemque super vomere manducans, reginali  
thalamo admotus. Sunt qui contendunt: *Pra-  
mislaum* seu *Primislaum* nequaquam vulgarem  
colonum, verum dominum oppidi *Staditz*  
fuisse, qui tamen pro more ejus ætatis agrum  
coluerat; et ab aratro conjux reginæ, et post  
ejus fata regni successionem adeptus. *Li-  
bussa* cunabula jecit urbis Pragensis, lauda-  
biliter regnavit, et ob artem divinandi *Sybil-  
la Bohemica* adpellata. *Hage. Bohem. Chron.  
Stransky. Bezcovski* ejus historiam describere; et  
alii plures recentiore ætate, e quibus hæ Bio-  
graphia excerpta est.